



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Baldvini Cabilliavi E Soc. Iesv Magdalena**

**Cabilliau, Baudouin**

**Antwerpen, 1625**

XLIV. Pia fraus Amoris.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70461](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70461)

Sic aliam ex aliâ iam Magdalin ambit IESVS;  
E Strygio monstro, sponfa fit apta Deo.

## X L I V.

*Pia fraus Amoris.*

**N**YMPHA verecundis gena cui micat illita  
guttis,  
Quæque bipertito diluis amne pedes;  
Falleris, & nescis. nec falleris. alba gemello  
Te dare fonte putas balnea? flendo capis:  
Teque lauas lacrymis, ( an & hæ quoque fallere  
doctæ? )  
Quin etiam lymphas imbibis ipsa tuas.  
Oscula nam riguis vbi figis hiantia plantis,  
Crinis & ora bibunt quas gena fundit aquas.  
Cerue, tuas rigat vnda genas prius illita plantis:  
Sic redit ad fontem riuus vterque suum.

*Pœnitentia exscindit vlcus Conscientiæ.*

**Q**uo te pennigeris super euehis astra qua-  
drigis?  
Siste, precor, volucres ad tua frena rotas.  
Siste, precor, seu tela placent, seu termes oliuæ:  
Magdalis alternâ præmia forte leget.  
Vfus erit telis, pacalibus vsus oliuis:  
Magdalis iccta gemit, & noua sæcla trahet.  
Hinc Amor, inde dolor, concors stat cura me-  
delæ:  
Hic ferrum, medicas suggerit alter aquas.  
Vindice sub ferro crudum dolor exsecat vlcus,  
Sed medico succo Magdalin yngit Amor. Sic.



Sic vrente manu qui plectit acerbus, & idem  
 Parcit amans dulci mistus amore dolor.  
 Quàm dolor vrit atrox ferro qui sæuit & igni,  
 Tam lenit liquido rore suavis Amor.

## L X V.

*Epulum spirituale CHRISTVS  
 MAGDALENÆ adornat.*

**A**D cœnam noua cœna venit, noua gaudia  
 manant;

Dispare sed missu, par vbi mensa sedet.

Hic epulum Simon, epulum struit ipse I E S V S:

Iste suum nectar promit, at ille merum.

Plumbeus ille magis plumbo, hic magis aureus  
 auro est:

Hic trahit, ille fugat: gaudet hic, ille fremit;

Meque super rodens, mordaci dente laceffit,

Nectareasque nigro felle venenat opes.

Et licet inuidiæ fera ructet Echidna venenum,

Mustea de puro nectare pocla sequar.

Cælite me musto, dape cælite pascit I E S V S

Pectus, & ora natant hausta tot illecebris.

## L X V I.

*Dulcedo è lacrymis.*

**I**RE lyræ quondam malè gaudia, & omina  
 luctus:

Ite ioci, vitæ seria damna meæ.

Ite leues curæ volucris de pulueris vmbra:

Ite stolæ probri conscia vela mei.

I s

Ite